

cuit aulæ Romanæ viſta juſtitia, & ſeveritate ſua; gratiſſimus in ſolos, qui aliquod ſervitium ei impenderant. In primis hanc animi gratitudinem ſenſerunt Hieronimus Ruſticuccius, qui ejuſdem a ſecretis fuerat, quem poſt ad Cardinalatus apicem evexit; dein Franciſcus ejus frater major ætate, quem ad Episcopatum Venetiæ, mox Fani patriæ ejus nominavit, addita inſuper perpetua adminiſtratione Episcopatus Senogalliæ, præter multas abbatias, & penſiones, ut hoc modo dignitatem, & Cardinalatus auctoritatem honorifice tueretur. Deinde Diamantem ipſorum fratrum ſororem Hieronimo Bonello, tunc Burgi Præfecto, matrimonio copulavit, & qui poſtea Marchio Caſſani a Sereniſſimo Rege Philippo creatus fuit, dum hic Marchionatus ob Caſtaldorum obitum ad Regiam Cameram devolutus eſſet; obtinuit (1) nuptias Diamantis, licet urbis Romanæ proceres amicitiam ejus, & affinitatem appetere. Ex morte Pontificis vere Pii, bellum in Turcas ſuſceptum reſtitit multum, ac pene elanguit, non parumque res Chriſtianorum conſternatæ fuerunt. Is ubi diutius calculo laboraſſet, morbo abſumitur, morbum tulit, & dolorem paſſus eſt tanta conſtantia (2), ut nunquam noluerit pudendas partes Medicis attrahendas in curatione ſanandas præbere. (1) Optarit MS.

(2) Morbum & morbum tulit, & pudorem paſſus eſt tanta conſtantia MS.

MDLXXIV. Die ſecundo menſis auguſti D. Emanuel a Luna nobis Præfectus renuntiatur. Hic vir fuit, qui per omnes militiæ gradus ad hanc Præfecturam aſcendit. Dicerem Reipublicæ noſtræ miles ni quædam, quæ ejus obſcurarunt (1) virtutes, habuiſſet; ſed inter vitia, & virtutes, potius ad bonum dicerem inclinatum, quam ad malum. Hic dum Mediolanum proficiſcitur, in febrem graviffimam decidens occubuit de anno MDLXXVI.

(1) In quædam qua ejus obſervarunt.

MDLXXVII. Die duodecimo menſis novembris Cometa, ſeu ſtella crinita per multos perpetuos dies viſitur: primum nigro colore, dein albo, in fine rubro, quæ maximo ſplendore barbam ſuam explicabat, & ad Orientem progrediebatur, inclinans ſe ad ſeptentrionem, quo tempore Sebaſtianus Luſitanorum Rex, una cum aliis duobus Regibus dolo intercepti occiduntur, ob quorum mortem poſtmodum regnum Luſitanum cum omnibus regnis (1), ad Philippum Hiſpaniarum Regem devolvitur.

(1) Addebatur & ad Mauros tendit.

MDLXXVIII. Die nona menſis martii, dum Georgius Luſitanus Hiſpalenſis civitatis Alexandria Præfectus, litteris Guarnerii Trotti ſuffultus Quadringentum acceſſit, petiitque ab illius oppidi conſilio, ut ſibi liceret nonnulla fragmenta ſanctorum corporum Dalmatii, Primi, & Feliciani martyrum, quæ inibi ſumma cum veneratione, & diligentia obſervantur, exportare; quod cum ſumma omnium conſtantia eidem negatum fuiſſet, ira percuſus ad minas, mox cum nihil proficeret, ad facta pervenit, ſtatimque transmittit in hiberna Theutonicorum militum cohortem . . . , a quibus per vim id, quod voluntarie non potuit, extorſit, nonnullamque particulam ex offibus capitum dictorum trium

Sanctorum exportavit, quæ in ſuam patriam, poſtquam ab Alexandria civitate diſceſſit, ſecum tranſtulit. Eodem anno calendis junii D. Rodericus a Toletis propinquus illuſtriſſimi Ferdinandi Toletani Ducis Albæ Præfecturam Civitatis gerit. Hic dum rudimenta ſuæ militiæ apud Belgas deponit, armis illuſtrem, & ſtrenuum ſe reddidit. Præſertim in conſultu facto de anno MDLXVIII. penes Caſtellum Bdeſii, ſeu apud Caſale Regipedis Monſterlenſis Diœceſis in Belgis apud flumen Verram, in quo prælio Dux Albenſis vices gerens Philippi Hiſpaniarum Regis victoriam obtinuit; atque idem Toletanus maximam ſibi laudem inibi comparavit, & valde clarus redditur. Eodem anno die XXII. decembris oppidum Caſſinarum cum Cittadella, & pertinentiis, & cum titulo Marchionatus alienatum, & in feudum conſeſſum fuit Caſari Cuticæ pro ſe, & filiis ſuis masculis legitimis, ac deſcendentibus per lineam masculinam ab illuſtriſſimo D. Antonio de Guſman, Ayamontis Marchione, in ſtatu Mediolani Gubernatore, ac Capitaneo generali, mandatarioque, & procuratore ad id ſpecialiter delegato per ſereniſſimum Philippum Hiſpaniarum Regem, pretio ſcutorum undecim mille exbuſſatorum per memoratum Cuticam Petro Lopez Theſaurario generali Status Mediolani, dictoque die ab illuſtriſſimo Marchione Ayamontis mandatario, ut ſupra, inveſtituram accepit, & eidem collatum fuit in feudum honorificum, nobile, & gentile cum titulo veri, & antiqui Marchionatus cum caſtro, cittadella, juribus, & pertinentiis cum mero, & mixto imperio, gladii poteſtate, & omnimoda juridiſtione coram memorato illuſtriſſimo Mandatario flexis genibus conſtituto, etiam per enſis evaginati traditionem, & verum, publicum, & honorabilem Marchionem dicti oppidi Caſſinarum, & ejus territorii, & pertinentiarum creavit, & fecit, & decoravit. Anno vero inſequenti MDLXXIX. die VIII. novembris ad inſtantiam illuſtriſſimi Marchionis Ayamontii Mandatarii, & memorati Marchionis Caſaris Cuticæ, Philippus Hiſpaniarum Rex prædictam alienationem, & inveſtituram confirmat; prout in Diplomate dato in domo Pardi die octavo dicti menſis novembris, ſignato YO el Rey, & Antonius Cardinalis Granvellanus.

MDLXXX. Die XVII. ſeptembris in civitate Alexandria lætitia publica ob regnum Luſithaniæ ad ſereniſſimum, & Catholicum Philippum Hiſpaniarum Regem devolutum, quod nulli poſt eum contingit.

MDLXXXI. Die nona octobris Maria Auſtriaca uxor invictiſſimi Maximiani Imperatoris, mater Rodulphi moderni Imperatoris, ſororque ſereniſſimi Philippi Hiſpaniarum Regis . . . . . fratris Hiſpaniam petens, hodie honorificentiffime, & miro cum ſplendore Alexandria una cum filia, & Principe Parmæ, & aliis nobilibus recipitur; maximis arcubus triumphalibus ad hoc per Civitatem conſtructis ad portam Alexii, & ad plateam magnam; deinde die XII. ejuſdem menſis receſſit, in cujus laudem Johannes Maria Matius vir multiplici litteratura clarus, elegantiora carmina edidit, quæ in